



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. IV. Vtrum habitus virtutis infusæ suis actibus producatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

Deinde probatur. efficiere. Secundo, actus non efficit aliquid, nisi in ordine ad similes habitus, & ideo non producit, nisi habitum per se, & immediate operativum similitudinem actuum; sed gratia, de qua loquimur, non est habitus operativus, nec dat potentiam proximam facultatem, vel facilitatem in operando: ergo nullus actus potest illam efficiere. Tertio est optima ratio, quia gratia est quasi universalis forma, vel eminenter continens ceteros habitus, si ab illa manant, vel certe habens in se altioris perfectionem, ratione cuius illi debentur omnes illæ virtutes, & dona; & fortasse est universalis principium influens in omnes actus virtutum infusarum; ergo fieri non potest, ut aliquis actus habeat virtutem efficiendi gratiam illam: denique infra ostendemus, actus supernaturales non posse efficiere habitus

3. Probatur

Probatur 2. infusus operativus. Unde à fortiori sequitur, multo minus posse efficiere habitum gratiæ. Alterum etiam membrum dilemmatis primo.

Secundo.

10. 3. alio dilemmate. Probatur primo prior pars. 2. Probatur

Tertio.

Quarto.

Evasio liberè inducta.

Deinde in presenti probatur specialiter, quia si gratia fieri posset ab alia qualitate, vel id esset in eodem subiecto, vel ab uno subiecto in aliud, utrunque autem est incredibile, ergo. Primum probatur primo ratione facta, quia gratia est prima qualitas supernaturalis, ergo non habet aliam priorem, à qua fiat. Secundo, quia vel fieret ab illa libere, vel necessario, non libere, quia libertas non est sine actu vitali medio; si autem necessario, illa esset quædam dimanatio naturalis, quæ exclusa est. Tertio, quia talis qualitas deberet esse perfectior gratia; non enim possunt esse eiusdem speciei, superflue enim multiplicarentur in eodem subiecto; necessario ergo deberet esse perfectior in specie. At vero supra ostensum est, hanc gratiam esse perfectissimam qualitatem, quæ in supernaturali ordine esse potest, quia & est talis natura, ut ei debeat ultima beatitudo perfectissima secundum speciem suam, quantum cogitari potest, & ad illam ordinatur, tanquam prima essentia, & natura illius ordinis; ergo non potest intelligi alia qualitas prior, vel perfectior, à qua procedat. Quarto quia in his qualitatibus supernaturalibus, quarum una ab alia fit, vel fieri potest, non est procedendum in infinitum, sed sistendum est in aliqua prima: ergo hæc est gratia, & in illa sistendum est. Nā si esset alia prior, & prior possibilis, reddenda esset ratio, cur non detur hominibus iustificatis, nā ordo gratiæ debuit constitui perfectus conferendo iustis primam, & quasi radicalem qualitatem illius ordinis. Nisi quis fortasse dicat, nullam esse primam, sed posse procedi in infinitum, quod voluntarium est, & superfluum, & præter ordinem, quem in omnibus naturis experimur: nam in omnibus datur aliqua forma, seu natura, quæ est prima, & radix aliarum proprietatum, ipsa vero non manat ab aliquo principio intrinseco, sed ab extrinseco efficiente: ita ergo est in ordine gratiæ, nam illa est prima omnium, ipsa vero immediate manat à divinitate tanquam propria eius participatio.

Atque hinc facile probatur aliud membrum de efficientia unius subiecti in aliud. Nam hæc efficientia maxime esse deberet per ipsam gratiæ qualitatem, quia non est alia perfectior, aut prior, ut iam probatum est. At vero illud etiam dici non potest, quia vel talis efficientia esset medio actu vitali, vel modo mere physico per iuxta positionem, & actionem mere transeuntem, utrumque autem facile rejicitur. Primum enim impossibile est, tum quia actus immanentes per se non sunt actui extra subiectum, in quo sunt: tum etiam quia una creatura non potest alterare aliam, seu producere formam per solum imperium, vel voluntatem suam, sed ad summum motum localem, quia non habet tam eminentem virtutem, ut in parte latius probatur. Nec etiam potest spiritualis qualitas agere in aliud per actionem mere transeuntem, illamque & quasi per iuxta positionem, tum quia est proprium materialium qualitarum, tum etiam quia alias posset unus Angelus gratus per gratiam suam immediate efficiere similem gratiam in alio Angelo non habente peccatum, sed puram naturam, quod absurdissimum est, tum denique quia videmus hoc repugnare in omni alia spirituali qualitate, quam per modum habitus, seu actus primi agnoscimus. Et hic etiam applicari potest ratio facta, quia actiuitas non est ipsa gratia: ergo ut esset in qualitate, oporteret, illam esse priorem, & eminentiorem, quod esse non potest, ut ostensum est. Et ad has reduci debet alia ratio, quæ videtur D. Thom. 3. p. q. 64. ar. 1. quod nulla substantia creata potest illabi in essentiam animæ, & ideo non potest illam immutare ad gratiam, ut agens principale. Eandem rationem habet D. Tho. p. 27. de Verit. art. 3. ubi plures alias accumulat, probabiles quidem, sed non convincentes, nisi ad supra positas reuocentur, & ideo illæ nobis sufficiunt. Neque contra veritatem hanc obiectio alicuius momenti occurrat, quam D. Thom. citatis locis præsertim in dicto ar. 3. non proponit, & sufficienter expedit. Et videri possunt dicta à nobis in primo tomo 3. partis. disp. 31. sect. 4.

Supererat dicendum de causa instrumentalī, de qua solum assero, sub his terminis certū esse dari aliquam causam instrumentalem gratiæ. Nam Concil. Trid. sessio. 6. cap. 7. baptismum esse causam instrumentalem iustificationis. Unde constat, idem cum proportionem dicendum esse de ceteris sacramentis novæ legis iuxta doctrinam eiusdem Concilij sess. 7. Qualis vero sit hæc instrumentalis causalitas tractatum est in materia de Incarnat. to. 1. 3. p. disp. 31. sect. 3. & 4. de Christi humanitate docuimus esse causam efficientem physicè gratiam per modum instrumenti. Et similiter in 3. to. 3. p. disp. 9. defendimus, sacramenta novæ legis esse vera, ac physica gratiæ instrumenta, quam sententiam nunc etiam probabiliter, magisque consentaneam proprietati verborum Concilij, & aliorum Patrum esse credimus. Etiam si postea à nonnullis viris doctis sit impugnata, quibus nunquam respondere non iudicamus esse huic loco opportunum, quia levis est confusio, & fastidium asserere posset, neque etiam necessarium esse credimus, quia ex dictis in citatis locis facile erit, vel mediocribus Theologis posterioribus obiectionibus, quæ novam certè difficultatem non ingerunt, satisfacere.

CAPVT IV.

Utrum habitus virtutis infusus suis actibus producatur.

DVobis modis intelligi potest, actum virtutis infusæ gratiam habitalem, vel aliquem virtutis habitum supernaturalem in anima efficiere, scilicet, vel propria, & connaturali virtute sua, sicut actus virtutis acquisitarum habitus sibi cōmensuratos efficiunt, vel ut instrumentū. De elevari ex peculiari institutione ad efficiendum habitum ultra naturam actiuitatem.

Placitum modernorum recipitur.

De hoc posteriori modo nos quaestionem non mouemus: nam licet moderni quidam Theologi, vt fertur, hunc modum efficientiae actibus infusis tribuerint, id tamen neq; ab aliquo scriptore Theologo assertum est vniuersaliter, seu extra sacramenta, neque habet ullam probabilitatem. Quia licet potuerit Deus id facere, quod autem id fecerit ante, vel extra institutionem sacramentorum legis nouae, leuiter & sine fundamento asseritur, quia nec auctoritate, nec ratione fundari potest. Vnde cum sit opus supernaturale, pendensque ex sola libera voluntate Dei, gratis, & sine probabilitate, ne dicam cum temeritate, asseritur.

Attritio vel contritio cum sacramento iustitiae producat gratiam.

Dixi autem extra sacramenta nouae legis, quia illa reuera sunt instrumenta gratiae efficiendae, vnde probabile fit, actum contritionis, vel attritionis in sacramento poenitentiae efficere, vt instrumentum, gratiam, quae ex opere operato per illud sacramentum datur, vt sentit etiam D. Th. 3. p. q. 86. art. 6. Illud vero est speciale in illo actu, quia est pars illius sacramenti, inde vero non potest argumentum sumi ad alios actus, quibus, vel extra sacramenta, vel in alijs sacramentis ad gratiam recipiendam disponimur, quia in illo sacramento est specialis, ratio, & institutio, quae extra illud non inuenitur, quia in alijs sacramentis actus similis non est pars sacramenti, & ideo ab speciali potest argumentum in contrarium retorqueri. Mouetur ergo quaestio in priori sensu, an scilicet actus supernaturalis sit forma habens naturam, ac sufficientem virtutem, quae vt proximum principale principium habitum eiusdem ordinis in anima efficiat.

Punctum huius capituli.

2. Vnus actus cuius virtutum habitus infusus efficere possunt.

Ex qua declaratione suppono secundo vt certum, quaestionem non habere locum in gratia sanctificante, quae est in essentia animae, nam de illa nulla verisimilitudine dici potest dicto modo effici per actum aliquem supernaturalem, vt cap. praeced. probatum est. Vnde etiam per se euidentius est, non posse totam iustitiam infusam quoad omnes habitus operarios fieri hoc modo per actus nostros, quia infunduntur simul in iustificatione, medio illo solo actu, quoad iustitiam homo disponitur, non potest autem illa vltima dispositio ad gratiam efficere physice, ac proprie totam iustitiam, & omnes habitus, quos includit. Probatur, quia illi habitus sunt diuersarum specierum, & inclinant ad actus omnino distinctos; ergo fieri non potest, vt vnus simplex actus efficiat omnes illos habitus. Et confirmatur a contrario, quia non potest vnus habitus efficere physice, & proprie actus omnium virtutum infusarum, neque enim charitas potest elicere actum fidei, vel spei, vt est per se notum, & in libro secundo ostendimus, non posse elicere actus moralium virtutum infusarum, & idem est de virtute poenitentiae respectu actuum aliarum virtutum, & a fortiori est idem de ceteris; ergo multo maiori ratione non potest vnus actus pertinere ad vnam virtutem solam efficere totam iustitiam vniuersalem. Denique ex principijs generalibus de generatione habituum per actus est hoc manifestum quia actus, & habitus, quem generat, in eadem semper materia versantur, nec potest actus reddere habitum potentiam, nisi circa idem obiectum, & ad similes actus. Hinc ergo aperte concluditur, & in iustificatione non fieri omnes virtutes infusas per actum hominis, qui est vltima dispositio ad gratiam: nam illa dispositio supposita fidei, & spei, est vel vnus simplex actus contritionis, vel ad summum virtus actus charitatis, & poenitentiae, & tamen tunc infunduntur virtutes morales, & dona Spiritus Sancti; ergo non sunt haec omnia effectiue per actus eius, cui infunduntur.

3. Quaestio est de habitu ad suum actum comparato.

Solum ergo superest quaestio de habitu ad suum actum comparato, quando nimirum aliquis actus infusus est dispositio ad proprium habitum illi proportionatum recipiendum, an illum etiam effectiue inducat. Et in hoc sensu refertur opinio affirmans, actus infusus de se posse efficere, & perficere suos habi-

Pars 3.

tus, idque de facto efficere, quoties occasio occurrit. Tribuique solet haec opinio Cano lib. 12. de Locis cap. 13. ad 7. & Vega lib. 3. in Trident. c. 9. & Richard. art. 8. contra Lutherum. Isti vero auctores hoc reuera non docent, imo Cano expresse negat, alij vero solum dicunt, posse hominem aliquo modo concurrere ad suam iustificationem, quod est verum ratione dispositionis, vt infra videbimus. Et licet interdum vtantur verbo efficiendi, vel late illud accipiunt, prout significat operari, seu causare, vel loquuntur de ipso homine, qui efficiendo aliquem actum, dicitur aliquo modo efficere vel cooperari ad suam iustificationem, vt in sequentibus saepius videbimus. Nullum ergo illius opinionis auctorem inuenio, licet confuse relatum inueniam, aliquos modernos illam docuisse praecipue tractantes de intentione, seu augmento charitatis.

Opinio affirmans.

Potestque suaderi primo, quia Sacra Scriptura ita loquitur, *Qui poenitentiam egerit, aut conuersus fuerit, viuificabit animam suam, Ezech. 18. item Eccles. 2. Qui timent Dominum praeeparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Et 1. Ioan. 3. *Omnes, qui habent hanc spem in eo, sanctificant se, vbi Augustin. tract. 4. Sanctificas te, non de te, quasi diceret, sanctificas te per actus, quos cum auxilio diuinae gratiae elicis.* Vnde tractat. 27. in Ioan. explicans illa verba Ioan. 14. *Qui credit in me, maior a horum faciet,* intelligit de opere sanctificationis, & exaggerat, quod homini datur virtus ad se sanctificandum per fidem viam Christi; homo autem non sanctificatur, nisi per effectiue charitatis; ergo si homo se sanctificat suis actibus infusis, per illos efficit in se gratiam. His accedit D. Thomas 3. p. q. 85. art. 2. ad 3. dicens, poenitentiam effectiue expellere peccatum, vnde inferri videtur, effectiue introducere charitatem, quia nulla forma potest effectiue expelli, nisi ab eo, qui oppositam formam effectiue introducit.

4. Scripturae testimonia.

Possumus deinde ratione argumētari. Primo quia actus naturalis efficit habitum acquisitum; ergo actus infusus efficiat habitum infusum. Probatur consequentia, quia est eadem proportio inter vtrumque actum, & habitum respectiue, nam sunt eiusdem ordinis, & tendunt in idem obiectum formale, & habitus respectu actus in vtroq; ordine habet efficientiam eiusdem proportionis: ergo etiam est contrario actus habebunt respectu habituum. Secundo quia actus supernaturales intensiores habitu intendunt effectiue ipsum habitum; ergo etiam primus actus generabit habitum. Consequentia probatur a paritate rationis: nam sicut se habet gradus intensus ad intensum, ita remissus ad remissum: & similiter substantia actus eandem proportionem habet ad substantiam habitus Antecedens autem videtur esse D. Th. 1. 2. q. 51. ar. 4. ad 3. vbi dicit, actus, qui producuntur ex habitu infuso, non causare aliquem habitum, sed confirmare praexistētem. Et ratione probatur, tum quia per illos actus homo redditur propior, & facilius ad similes actus, tum etiam quia fidelis peccator exercendo actus intensos fidei auget habitum fidei, & non meritorie, quia est in peccato; ergo effectiue. Tercio, incredibile videtur naturalem actum esse actiue, & non actum supernaturalem; ergo supernaturalis actus aliquid potest efficere, & non habitum specie distinctum ab habitu infuso; ergo poterit efficere ipsummet habitum infusum, quando illum non praesupponit.

5. Ratio prima.

Ratio 2.

Tertia.

Nihilominus contraria sententia est communis Theologorum. Illam docet D. Thomas 1. 2. quaest. 51. artic. quarto in corpore, & ad 3. vbi distinguit duplices habitus infusos, quidam sunt, qui semper ac necessario sunt per solam infusionem, quos vocamus per se infusos: alij, qui per actus fieri possunt, interdum vero à Deo infunduntur. Quae differentia nulla esset, si priores etiam habitus per actus fieri possent. Idem docet q. 55. art. 4. vbi de ratione virtutis infusae dicit esse, vt eam Deus in nobis sine nobis operetur ex Augustin. 1. Retractat. cap. 9. & lib. 2. de lib. arbit. c. 18. & 19. At si talis actus fieret per suum actum,

6. Communis veraque sententia.

R 2

non

non fieret sine nobis. Et qu. 1. de Virtutibus in communi art. 1. ad 17. dicit, *Virtutem infusam non causari ex actibus*, utique effectiue, nam subdit, actus posse ad illam disponere. Et ita huic sententiæ subscribunt omnes Thomistæ in 1.2. locis citatis, & q. 112. art. 1. Et optime Henric. quodlibet. 5. q. 23. Soto lib. 2. de Natur. & grat. c. 9. Vega lib. 6. in Trid. cap. 2. Sumitur ex Bonauent. in 1. dist. 17. 2. p. art. 1. q. 2. Richard. in 4. d. 17. art. 4. q. 7. qui tamen loquitur de gratia sanctificante, sicut etiam Palud. & Durand. ibi q. 1. Atque hanc opinionem ego veram censeo; quam vero sit certa, quantave auctoritate tenenda sit, in discursu explicabo. Nunc ratio eius inquirenda est.

7. Prima ratio reddi solet, quia actus infusus, etiam impugna-
tio rationis
prima.
primi, semper ab habitibus supernaturalibus eliciuntur, & ideo non possunt illos efficere. Hæc vero ratio in primis falsum supponit: nam in homine, qui conuertitur ad fidem prius tempore, quod iustificetur, actus fidei præcedit gratiam. Nec potest dici cum probabilitate, quod procedat ab habitu fidei, imo aliqui putant etiam tempore præcedere, nec tali homini infundi habitum fidei donec iustificetur, quod licet verum non sit, saltem videtur certum, illi non infundi habitum fidei prius natura, quam credat, nam si infunditur, ideo est, quia credit. Idemque argumentum fieri potest de virtute spei. Item peccator fidelis habet actum attritionis supernaturalis prius etiam tempore, quam iustificetur per sacramentum; ille autem actus non est ab habitu infusus. Denique etiam de contritione, vel primo actu diligendi super omnia, paulo post ostendimus, non produci efficienter ab habitu, de qua remota etiam in libr. 5. diximus. Vt hæc vero ibidem ostendimus, posse actum supernaturalem fieri ex solo auxilio sine habitu, quidquid ergo sit de facto, ex hypothesi interrogamus, si ita sit, an efficiat habitum sibi proportionatum? Nam si affirmetur longe probabilior sit prior opinio, si autem negetur, reddenda est ratio, & hanc inquiremus.

8. Secunda ratio reddi solet, quia actus gratiæ non est tam supernaturalis, quantum est habitus: & huius ratio redditur, quia actus elicitur à potentia naturali, in quo habet convenientiam cum actibus naturalibus, & licet quasi mixtus ex naturali genere, & supernaturali differentia, habitus vero est omnino supernaturalis, quia à solo Deo fit. Sed hæc ratio plures habet defectus: nam primo petit principium, dum sumit habitum infundi à solo Deo nam hoc est, quod inquirimus, cur non sufficiat habitus factus per ipsum actum. Deinde contra rationem est postulare habitum magis supernaturalem quam sit actus: nam hæc duo seruât inter se proportionem. Vnde ex hoc principio, quod actus sunt supernaturales quoad substantiam, probauimus in superioribus actus esse eodem modo supernaturales. Denique falsum est, actum esse mixtum ex naturali, & supernaturali, nam est simplex entitas, quæ tota in aliquo ordine collocanda est, nimirum in supernaturali. Nec refert, quod in genere conueniat cum actibus naturalibus, nam hoc etiam habet habitus infusus, quia in genere habitus conuenit cum acquisito. Vnde genus illud non est naturale, sed abstrahit à naturali, & supernaturali; & ut contrahitur per differentiam supernaturalem ad eundem ordinem eleuatur, quod tam in actibus, quam in habitibus locum habet. Nec denique obstat, quod actus elicitur à potentia, quia elicitur ab illa ut eleuata, & per potentiam obedientialem: vnde etiam secundum vltimam differentiam elicitur à potentia, cum tamen de illa differentia negari non possit, quin omnino supernaturalis sit.

9. Tertia ratio redditur, quia habitus infusus educitur de potentia obedientiali sui subiecti, & non de potentia naturali, subiectum autem non potest immediate immutari secundum potentiam obedientialem, nisi ab agente infinito, cui soli subijcitur, quia immutare naturam ultra naturalem capacitatem, ad

solum auctorem naturæ pertinet, nam requirit superemum dominum in ipsam naturam, ac subinde potentiam infinitam. Quæ ratio habet fundamentum in D. Thoma. q. 27. de Verit. art. 3. & in alijs locis, quæ retuli cap. præcedenti. Sed (ut ibi notauit) hæc ratio procedit respectu principiorum, seu formarum naturalium, non vero respectu principij supernaturalis; at vero actus gratiæ forma supernaturalis est, cur ergo non poterit immutare effectiue subiectum secundum capacitatem obedientialem, sicut illud informat? Præterea videtur efficax argumentum supra infinuatum, quia etiam actus supernaturalis, v.g. visio beata educitur de potentia obedientiali intellectus, & nihilominus connaturaliter sit à lumine gloriæ, tanquam à principio proximo principali, & idem est de actu charitatis respectu habitus; ergo ex parte potentia pasciæ non repugnat vnam formam supernaturalem facere aliam; ergo nec repugnat actum efficere habitum. Respondent aliqui esse differentiam, quia habitus disponit phyice potentia ad actum, non solum actiue, sed etiam pasciæ, & ideo potest agere in illam sic eleuatam, actus vero non ita disponit phyice, & proprie ad receptionem habitus. Quam responsionem sequitur Cumel quæstio. 112. artic. 1. Sed illam impugnaui in prima parte, tractat. 1. lib. 2. cap. 15. quia lumen gloriæ non est potentia pasciæ ad receptionem actus, sed immediate recipitur in intellectu, quæ de essentia formalis effectus vitalis est, ut recipiatur in potentia vitali. Vnde negari non potest, quin lumen gloriæ immediate efficiat in intellectu secundum capacitatem obedientialem eius, & idem est à fortiori de charitate, & de omnibus habitibus infusis, & ideo omnes Theologi illos ponunt ut principia actiua, non ut pasciæ.

Quarta ergo ratio, & sufficiens est, quia habitus infusus plus habet de potentia, quam de habitu (ut sufficiens dicam) quia non solum dat facilius operari, sed simpliciter posse operari, ut in libro 6. ostensum est. At vero actus secundus nunquam est effectiuius illius actus primi, qui dat simpliciter posse, ut per visionem non potest fieri visus, & sic de alijs. Ratio vero huius est primo, quia actus ex intrinseca natura supponit potentiam, & ideo non est productiuius illius. Neque obstat, quod interdum actus fiat ante habitum, quia hoc est præternaturale, ordo autem connaturalis talis actus est, ut supponat habitum, tanquam necessarium, & connaturale principium, & ideo ex natura sua non habet efficaciam ad illum. Secundo est optima ratio, quia potentia est principium principiale, & æquiuocum sui actus, vnde necesse est, ut sit forma perfectior, nulla autem causa perfectior suo effectui potest ab illo fieri; ergo etiam habitus infusus in entitate sua est simpliciter perfectior, quam sit actus, & ideo non potest ab illo fieri. Huc accedunt coniecturæ à posteriori, nam habitus infusus, quantumvis intensus, per vnum actum amittitur: ergo signum est, non fieri per actus, nam habitus, qui per actus acquiruntur, non amittuntur per vnum actum contrarium, præsertim si per plures actus firmati sint. Item Deus non solet ordinari lege infundere homini habitus, quos ipse potest acquirere per actus suos, sed in iustificatione infundit omnes hos habitus sine actibus plurium illorum, ergo signum est, hos habitus ita esse per se infusos, ut nec per suos actus acquiri possint.

Sed quæret aliquis, quanta sit certitudo huius assertionis. Nam Medina supra, præsertim q. 63. ar. 4. dicit, licet contraria non sit erronea, esse tamen temeraria, & fundatur solum, quia August. (ut inquit) definit, virtutem infusam esse bonam qualitatem mentis, & cetera. *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Sed hoc fundamentum pro tam graui censura insufficiens est: tum quia illa definitio virtutis non inuenitur formaliter apud Augustinum. Vnde Diuus Thomas quæst. 4. in argumento, sed contra, solum dixit sumptam esse

Solutio.

15. Moraliter disponuntur hi actus ad habitus non physice.

Explicatur Medina.

*Commen-
tatur locus
D. Thom.*

esse ex doctrina Augustini: tum præterea, quia licet priores partes illius definitionis habeantur in Augustino libro primo Retract. cap. 9. & lib. 2. de liber. arbit. cap. 19. tamen illa vltima, *Quam Deus in nobis sine nobis operatur*, quæ sola ad præsentem causam facit, non inuenitur in Augustino, sed sumpta videtur ex illa phrasi, & modo loquendi Augustini, quo dicere solet, Deum operari in nobis sine nobis, ut velimus, quod dixit propter gratiam operantem, quæ immediate datur propter actus, non propter habitus, & nihilominus per illam locutionem non excludit Augustinus cooperationem nostram ad actus deliberatos gratiæ; ergo nec inde satis excluditur efficientia actus circa habitum, præsertim in illo gradu certitudinis.

12. Opinio 2.
Enervatur.
Alij existimant, hanc sententiam esse certam ex canon. 20. Concilij Arausiaci dicentis, multa esse in homine bona, quæ non facit homo, nullum tamen bonum facere hominem, quod non præstet Deus, ut faciat homo: nam illa bona, quæ non facit homo, sed Deus, non videntur esse, nisi habitus infusi. Accedit, quod Concilium Trid. sess. 6. cap. 7. dicit hæc tria dari infusa in iustificatione, fidem, spem, & charitatem. Sed licet hæc sint probabilia, nihilominus non faciunt rectè certam, quia Concilium Arausiacum præcipue loquitur de gratiis præuenientibus, & excitantibus, quas Deus in nobis sine nobis operatur, iuxta modum loquendi Augustini. Item, hoc non obstat, verum est, motus gratiæ excitantis effectiue procedere à nostris potentij secundum physicam efficientiam; ergo idem dici posset de habitibus infusis. Diximus etiam in superioribus actus ipsos gratiæ esse infusos, quia licet ad illos cooperemur, per se, & principaliter sunt ab Spiritu Sancto supernaturaliter operante. Sic ergo possent habitus dici infusi, etiam si per actus infusos fierent. Nostram ergo, & communem opinionem tantum Theologicam assertionem esse censemus, ita certam intra opinionis latitudinem, ut contraria probabilis non possit reputari, quia omnes Theologi in illa videntur conuenire, quibus sine magna audacia contradici non potest. Præsertim cum modis loquendi Conciliorum magis faueat, & maxime Augustini, qui videri potest in libr. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 9. ubi ait, hominem præparare cor, licet non sine cooperatione Dei, Deum autem præparato cordi ita respondere, *ut in eo (inquit) nihil operis habeat homo, sed totum sit à Domino Deo*. Ad eundem ratio supra facta est sufficiens, nec aliquid, quod urgeat, in contrarium occurrat.

13. Testimonia Scripturæ operantur cum Aug. locutionis.
Ad testimonia igitur in principio proposita respondetur, illa omnia solum probare, hominem aliquid efficere debere, ut gratiam, & remissionem peccati à Deo obineat, siue se disponendo cum diuino auxilio, siue impetrando, siue aliquo modo merendo, & quia dum homo in hoc præstat, quod in ipso est, cum auxilio diuino, statim obtinet à Deo gratiam, ideo dicitur sanctificare se, & similia. Et ita facile explicatur omnes Scripturæ, & Augustini locutiones: nam in eis (quod notandum est) non est sermo de solo habitu correspondente vnicuique actui, in quo solo sensu potest hæc questio tractari, ut notauimus, sed est sermo de tota iustitia, & gratia sanctificante, de qua manifestum est, non fieri à nobis per nostros actus, nisi in quantum ad illam recipiendam per illos disponimur. Non ergo propter propriam physicam efficientiam gratiæ, sed propter efficientiam talis dispositionis ad illam dicitur homo aliquo modo sanctificare se.

14. Insuper.
Sed instari solet, quia in naturalibus qui facit vltimam dispositionem ad formam, simpliciter, & per se facit effectum, quamuis non faciat ipsam formam, ut patet in generatione hominis: nam homo vere generat hominem, quia perfecte disponit materiam, licet non faciat animam; ergo similiter cum homo se vltimo disponat ad gratiam, vere ac per se facit gratum, esto non faciat gratiam ipsam. Respondetur, hinc manifestum.

gis explicari prædictas locutiones. Nam in primis si multitudo non tenet, quia in productione hominis alia est actio, qua fit anima, & alia, qua vnitur corpori, & ideo agens naturale licet non efficiat animam, potest efficere vñionem eius ad corpus, & ita generare compositum; in iustificatione autem non est alia actio, qua producit gratiam, & alia, qua vnitur, & ideo si dispositio non potest efficere gratiam ipsam, neque vñionem potest efficere, ac subinde nec compositum, seu hominem gratum.

Vnde secundo colligitur, hos actus non disponere physicè ad habitus, sed moraliter, quia secundum congruentiam moralem præquiruntur, & mouent Deum ad infundendos illos. Quod discrimen agnouit Medina 1.2. q. 112. art. 1. in fine in solutione argumentorum, & probat late, ac defendit Cumel. ibi disp. 1. ad 4. Nihilominus verò Aluarez disp. 66. in prima conclusione dicit, dispositionem vltimam ad gratiam non tantum esse moralem, sed etiam physicam. Fundaturque solum, quia Concilium Trid. sess. 6. c. 5. & 6. & can. 4. dicit peccatorem se disponere per actus suos ad gratiam iustificantem. Vnde ipse infert, esse realem, & physicam dispositionem. Item quia D. Th. 1.2. q. 112. art. 2. dicit, nullam perfectam formam recipi, nisi in materia disposita. Denique allegat Medinam 1.2. q. 113. art. 8. ad primam confirmationem, referentem illam opinionem, utique tanquam falsam. Veruntamen Medina non est sibi contrarius, & opinio, quam ibi refert, longe alia est, quam infra tractabimus. Cetera vero solum probant illam esse dispositionem veram, & realem, quod nemo negat, inde autem non sequitur esse dispositionem physicam, nam esse causam, vel dispositionem veram, & realem commune est causæ, & dispositioni morali. Quocirca videtur ille auctor materialiter cõsiderasse hanc dispositionem secundum suam entitatem, quæ dici potest physica, quatenus est res vera, & suam quasi naturalem essentiam habens. Non considerauit autem illam formaliter, id est, secundum influxum, quem habet in gratiam in ratione causæ disponentis. Sic enim non habet influxum physicum, quia neque est per se necessaria ad esse gratiæ, cum possit absque miraculo finetali dispositione infundi, ut in puris, & per sacramenta, & sine eadem in omnibus iustis conferuerur: neque etiam est physica connexio inter talem actum, & infusionem habitus, sed est ex acceptione diuina, ut ex Paulo ad Rom. 4. rectè ponderarunt priores auctores, & in lib. 12. latius dicemus. Est ergo moralis influxus illius dispositionis, tum quia remouet moralem obicem peccati, tum etiam quia mouet Deum ad infusionem gratiæ, quasi impetrando illam, ut dixit Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. & in sequentibus declarabimus. Sic ergo non sequitur, hominem esse causam physicam suæ gratiæ; dici autem potest aliquo modo causa moralis, ita n. aliqui dicunt Scripturam, dicēs, hominē se viuificare vel sanctificare, quæ locutiones moraliter intelligendæ sunt in genere causæ disponentis, & non secundum causalitatem physicam, vel circa ipsos habitus, vel circa effectus formales eorum, seu vñionem ipsorum cum potentijs. Et ad eundem modum explicandus est locus D. Thomæ in 3. p. dicentis, poenitentiam effectiue expellere peccatum, nam si intelligatur de actu poenitentiae, intelligi debet de effectiue morali, quæ tribui potest dispositioni ad gratiam: si vero intelligatur vel de habitu, vel de auxilio supplente vicem eius, vel de ipso poenitente, sic dicitur effectiue expellere peccatum, quia efficit dispositionem, qua posita Deus remittit peccatum, ut in 4. tomo 3. p. tam in commentario eiusdem articuli, quam disput. 8. sect. 3. numero 17. latius dixi.

Dubium incidens.

De intensione habitus infusi.

16. *Opposita dissoluntur.* Ad primam rationem negatur equiparatio inter habitus acquisitos, & ratio differentia iam est data. In secundo vero argumento petitur, an isti actus infusi saltem intendant habitus? Quod dubium posset remitti in librum sequentem, tamen propter connexionem hic breuiter expedietur. Non potest ergo dubium hoc cadere in primam actum respectu habitus, qui ratione illius infunditur, tum quia non potest habitus simul fieri, & augeri, tum etiam quia per se, & ex vi dispositionis actus non infunditur habitus intensior actui, tum denique quia eadem ratio de infusione habitus, & de infusione omnium graduum eius. Solum ergo potest dubitari de actibus sequentibus post infusionem habitus. Nam D. Thomas 1. 2. q. 51. art. 4. ad 3. dicit, per illos actus confirmari, & corroborari habitum, quod non videtur posse fieri, nisi per intentionem.

17. *Resolutio dubij.* Nihilominus dicendum est, per hos actus non intendi effectiue, & phylice habitus infusos, quod intelligendum est, non solum quando actus non sunt intensiores habitu, nam hoc commune est habitibus acquisitis, sed etiam de actibus intensioribus. Ita docent communiter moderni in locis supra citatis. Et quamuis Medina dicat, non esse hoc tam certum, sicut de prima productione, mihi videtur esse in eodem gradu certitudinis, quia reuera consensio Theologorum eadem est: hoc enim docet expresse D. Thom. q. vnic. de Virtutibus art. 10. ad 19. & art. 11. in corp. & ad 14. & in 1. d. 17. q. 2. art. 2. ad 4. & ibi Durand. q. 8. n. 5. & alij, & Caietan. 2. 2. q. 24. ar. 6. & ibi etiam alij communiter, & Cordoua libr. 1. Quaestio. q. 9. dub. 1. & moderni scriptores communiter. Et ratio plane est eadem, quia eadem est proportio inter habitum, & actum siue in substantia, siue in singulis gradibus remissis, vel intensis comparentur; ergo sicut actus in quocunque gradu non potest in principio similem habitum efficere, ita neque intensus actus potest habitum intendere. Et confirmatur, ac declaratur, quia sicut actus non potest efficere potentiam suam, ita neque potest illam intendere. Adde, gratiam augeri per omnium virtutum actus, & cum illa crescere omnes virtutes infusas fieri autem non potest, ut vnus virtutis actus phylice omnes virtutes intendat. Neque hic occurrit specialis difficultas. D. Thomas autem in citato loco indifferenter loquitur de habitibus per se, & per accidens infusis, ut ex argumento constat, & Caietan. notat. Et ideo seruata proportionem, utrique accommodandum est, quod ait, actus corroborare habitum infusum: nam si habitus sit per accidens infusus, potest corroborari etiam per propriam intentionem, & effectiue actum, si vero sit per se infusus corroborabitur dispositiue per actus, non effectiue. Quibus autem modis illa corroboratio fiat, in libro sequenti tractabitur.

Ratio. Argumentum tertium aliud postulabit dubium, an actus supernaturales aliquem habitum producant? quod lib. 6. cap. vltim. tractatum est. Et ideo breuiter responderetur, actus infusos non ex defectu perfectionis carere virtute effectrice habituum, sed potius ex perfectionis excellentia, nam cum excedant naturalem potentiam, non possunt illam habitare ad similes actus, sed necessarii sunt habitus dantes facultatem operandi, qui altioremodum productionis requirunt. Sicut anima rationalis non potest efficere aliam similem, licet materiales formae id possint, non ob maiorem, sed ob maiorem perfectionem, ratione cuius altioremodum productionis postulat.

18. *Ad 3.* Declaratur exemplo. Sicut anima rationalis non potest efficere aliam similem, licet materiales formae id possint, non ob maiorem, sed ob maiorem perfectionem, ratione cuius altioremodum productionis postulat.

CAPVT V.

Ad habituales gratias dispositio aliqua physica, seu per modum actus primi procedere possit, vel tantum moralis, & per modum actus secundarii?

Hactenus dictum est de causis materiali, & efficien-
te, quatenus physico, ac reali influxu possunt Causa efficien-
ter se in gratiam influere, vel recipiendo, vel agendo. Nunc de
Nunc de vtraque dicendum sequebatur prout mo-
rali modo ad gratia infusionem, seu receptionem co-
operari possunt. In quo ordine collocatur in primis sunt morales
causa meritoria, quae moralis est, & ad efficientem re-
ducitur, & subdistingui potest: nam quaedam est in illa
quasi principalis, & vniuersalis in illo ordine, quae est in illa
Christus Dominus. Quem propterea Paulus ad Heb. titulum
2. auctorem salutis appellat. Et ob eandem causam
Concilium Trident. dicto ca. 7. dixit, Iustificatio-
nem exordium in adultis a Dei per Christum Iesum prae-
sentem gratia sumendum esse. Sed de hac causa non est no-
bis hoc loco dicendum, quia oportet totam de Christi
merito disputationem huc transferre, quod ali-
enum est ab hoc loco, & tom. 1. 3. partis disputatione
quarta, & quinta, & disputatione 41. dictum est id-
eoque de hac causa nihil in praesenti dicendum est.
Fortasse tamen in libro vltimo, explicando depen-
dentiam nostri meriti a merito Christi aliquid de illo
attingemus. Alia vero causa meritoria gratiae potest
esse proxima, & particularis, de qua Concilium nihil
dixit, non quia omnino nulla sit, sed quia respectu
primae iustificationis nulla est perfecta praeter Chri-
stum, respectu vero augmenti gratiae illam explicari-
um erat cap. 10. & canon. 32. nunc vero supponimus
etiam totius gratiae habitualis posse dari aliquam
causam particularem meritoriam, quae in duas di-
stingui potest, scilicet in ipsammet recipientem, qui
sibi gratiam meretur, vel aliam, qui eam alteri ob-
tineat. Quae causa non possunt explicari, nisi quale sit
eorum meritum declaratur, & ideo totam de hac
causa tractationem in librum vltimum huius operis
reijcimus.

Ad materiam causam gratiae pertinent dispo-
sitiones ex parte recipientis requisitae, ut ei habitualis
gratia infundatur. Quod enim aliqua dispositio ad
gratiam necessaria sit, vel possibilis, nunc supponitur, & materia
postea vero probabitur, illa vero supposita, quod ma-
teriale causam pertineat, in hunc modum facile decla-
rari potest. Nam in hac causa considerari potest, vel qua-
litas ipsa, seu actus, qui est dispositio ad iustitiam, vel
causa efficiens in nobis talem dispositionem, seu ac-
tum. Haec posterior non pertinet proprie ad causam
materiam, sed potius ad efficientem, sicut in natu-
ralibus ignis disponens lignum ad introductionem
formae ignis non est causa materialis, sed efficiens,
ita ergo in praesenti, causa efficiens dispositionem ad
gratiam non est materialis causa, sed efficiens per se,
& proxime talem actum, & remote aliquo modo co-
operans ad infusionem gratiae. Vnde in tali causa lo-
cum habent distinctiones datae de causa vniuersali,
& particulari distincta, vel non distincta ab ipsomet
recipientem gratiam, ad quam disponitur. Prior ergo
qualitas, vel actus, qui praeparat animam ad gratiam
recipiendam ad causam materiam reuocatur eo
modo, quo dispositiones physicae praeparantes ma-
teriam ad idem genus causae reducantur. Ideoque in
hac causa non habent locum distinctiones illae, talis e-
nim